UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio Decalogi Duabus distincta partibus

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes, mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Pater filio spurio, vel naturali, n. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

Visual Library

Pater filio ſpurio, vel naturali.

6. Quæres ſecundò; an ejuſmodi alimenta debeat pater, etiam filijs ſpurijs, quales ſunt ex damnato congreſſu geniti, puta inceſtu, adulterio, ſacrilegio, quibus pater prohibetur aliquid cauſſa mortis donare, vel relinquere? quod certè, præter cætera, factum eſt, ne legitimis hæredibus decreſcat hæreditas. Reſpondeo, debere, *m* nam licet leges civiles etiam alimenta videantur prohibere, tamen quoad hæc ſunt correctæ à jure Canonico, cum ſit de jure naturæ, ut pater alat filium, quacunque tandem ratione ab ipſo ſit genitus. Hinc ſequitur, *n* patrem poſſe, imo & debere relinquere filio ſpurio alimenta proportionata ſuo ſtatui; & filiæ ſpuriæ ſimilem dotem (hæc enim ſuccedit loco alimentorum) conſtituere, non ſolum ex bonis patrimonialibus, ſed etiam ex fructibus redituum Eccleſiæ *o* à patre perceptis; dotem, inquam, alimentis reſpondentem; ſi enim excedat, non poteſt. nam propterea ejuſmodi exceſſum tum filia ſpuria, tum ejuſdem maritus reſtituere, etiam ante judicis ſententiam, legitimis hæredibus (niſi forte ipſi libere remittant) obligabitur. Vide hæc diligenter diſputata apud Molinam, *q* Sanchez, *r* Azor, *ſ* Fagundez. *t* ubi invenies hanc doctrinam non eſſe contra conſtitutiones Pij V. qui videtur ſpurijs prohibere etiam alimenta. nam in elligit, quando aliunde ali poſſunt.

l Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 17. n. 4.
m Mol. Azor. Sanc. mox cit. n Sanc. in conſ. t. 2. l. 4. c. 3. dub. 34. & 36. o Azor. p. 2. l. 2. c. 12. q. 4. q Molina de juſt. tr. 2. diſ. 168. verſu in. r Sanc. l. c. dub. 39. & lib. 4. de matr. d. 26. à n. 20. & diſp. 28. nu. 32. ſ Azor. l. c. & à c. 8. t Fagundez. lib. 4. in decal. c. 1. à nu. 6.

7. De filiis naturalibus, qui illi ſunt, qui generantur ex copula, nec approbata, nec reprobata jure civili, hic non meminimus; ijs enim certum eſt, non poſſe patrem alimenta denegare, imo poſſe, deficientibus filijs legitimis, omnia bona ſua donare, vel relinquere, ut fusè Doctores. *u*

u lege Sanc. t. 2. conſil. lib. 4. c. 7. dub. 16. 7. & 18. aliiq; ab ipſo cit.

Cauſſa negandi alimenta, & exhæredandi &c.

8. Quæres tertiò: poteſtne licitè aliquando parens alimenta negare filio? Reſpondeo, poſſe, *u* quando ſcilicet adeſt aliqua ex cauſſis, ex quibus jure pater filium exhæredare valet, etiam legitimam eidem negando: nam ex iiſdem valebit alimenta negare, filiæque dotem non conſtituere; quæ eædem cauſſæ faciunt, ut filius patri alimenta negare licitè poſſit. Ratio horum tangetur mox. Hæ autem cauſſæ quatuordecim fere numerantur in legibus; *x* ſi filius (intellige etiam & filiam, imo & nepotes, reſpectu avorum) manus graviter in patrem injiciat: ſi contumelia gravi afficiat: ſi accuſet, extra caſum proditionis Patriæ, vel Principis: ſi cum maleficis

ſe inter-